





⁹⁴
DISPUTATIO MEDICA
DE
PARESI EX COLICA

Quam

Adjuvante Numine

Amplissimâ Facultate Medicâ appro-
bante pro receptione in Facultatem
publicæ subijcit censuræ

P R Æ S E S

AHASVERVS SCHMITNERVS D.

R E S P O N D E N T E

JOHAN. DANIELE KOCHIO
à Kolburg Pragense Bohemo.

In Auditorio Majori.

Addiæm 3. Junij.

REGIOMONTI

Typis JOHANNIS REUSNERI.

ANNO 1644.

1644, 5

25

Illustri & Magnifico Domino,

DN. CAROLO ZARDECKY
BARONI de ZARADECK.

Nobilis. & Amplis. Viro

DN. REINHOLDO CÖLMERO
Patriæ Reipubl Gedan. Scabininalis Judicij
Assessori dignissimo.

Speḡabili & Excellenti Viro

DN. JOHANNI von DÜREN
Civi ac Mercatori Gedanensium
primario.

Honesto & Integerrimo Viro

DN. BALTHASARI FISCHER
Reipubl Palæopolit quæ Regiomonti est,
Civi & Mercatori florentissimo.

D. Dnis. & Benefactoribus suis respectivè gratio-
sis, honorandis primum hoc publicarum Exercitatio-
num Academicarum, specimen submissa animi
devotione dicat & consecrat

JOHANNES DANIEL KOCH
à Kolburg

Respondens.

Auxiliante DEO!
Disputatio Medica
DE
PARESI EX COLICA.
Thesis I.



Orbos, morbos alios subsequi, atq; in alios commutari, Hippocrates summus artis nostræ coryphæus passim docet, & ipsa experientia rerum omnium magistra abundè testatur. Ex horum numero atq; censu est & is affectus, qui Colicam quandoq; subsequitur, & in quem Colica commutatur, atq; Paresis ex Colica appellatur.

II. Dicitur Græcis *πάρεσις ἀπὸ τῆς παραλύσεως*, i. e. *resolvi, relaxari*; Quippe *παρήμι* significat *resolvo, relaxo*. Hinc *πάρεσις* *resolutio, relaxatio* & qui resolutionem, i. e. relaxationem patitur, *παρῆς* & appellatur. Idem nimirum hæc valent quod *παραλύειν*, *παραλύω*, *παραλύσις* & *παραλυτικός*: Idcirco indifferenter etiam plerumq; hæc accipiuntur. Hinc quoq; hic affectus, quem *πάρεσις* vocamus, Æginet. l. 3. c. 43. Avicenn. l. 3. fen. 2. c. 2. Haly Abbat. Regal. Disp. theoret. l. 9. c. 9. Nicol. Serm. 5. tr. 8. c. 40. & Plater. tr. 1. Prax. l. 2. c. 2. *παραλύσις* appellatur. Verum enim verò si hos ipsos affectus rectè iudicij lance trutinari velimus, non leve discrimen inter illos reperiemus. Quippe & ratione ortus, & ratione partis mandatus, item causâ, Symptomatibus, & curatione Paresis, quæ Colicæ subsequa, à Paralyti Apoplexiam consequente, vel per se ortâ, maximè differt; Sicut ex thes. 19. sufficienter videre est. Et propterea Horst. Cent. probl. Decad. 2. q. 8. scribit Paresin ex Colica *παρῆσις* Paralytin dici, adeoq; mavult illam contracturam appella-

pellare: quam appellationem etiam Finckius arripit Enchirid. Dogmat. Hermetic. c. 22. & Joh Keyl. in Disput. Med. Chym. Hartman. Disp. 15. Spigelius verò de Fabric. corp. human. l. 6. c. 5. Paralysem imperfectam nominat. Horst. l. 2. Obser. de morb. capit. obser. 6. Paralysem spuriam, dolorificam & resolutionem dolorificam vocat. Reusner. de scorbut. Exercit. I. p. 88. Paresin hanc ad Arthriticis familiam reducit; & Ingolstetter in Cista Medica Epist, 220. eam lauffenden Sichte / i. e. Arthriticidem vagam nominat.

III. Dicitur præterea Paresis ex Colica, quoniam ex Colicæ per μεταπλωσιν oritur. Nam quamvis nonnulli sint, qui putent Paresin quoque fieri posse per ἐπιπέσειν, quod etiam non impossibile videtur, si materia illa morbifica in corpore luxuriet, & à natura forti ad intestina, & artus pellatur. Verum, tùm non Paresis ex Colica, sed cùm Colica erit. Nam per ἐπιπέσειν morbus fieri dicitur, quando alius alterò adhuc permanente advenit: adeoque duo, tunc aderunt affectus, Paresis sc. & Colica. Præterea potest etiam Paresis per se incipere, & per μετασσειν in Colicam mutari. Verum juxta Cratonem, Hoffmannum, Erastum, & Horstium Paresis Colicum dolorem sequitur, atque hæc subortâ, dolor iste cessat: & propterea prænominati Auctores Paresin nominant eam impotentiam artuum, quæ Colicam subsequitur. Sed quicquid sit, de nomine cùm nemine facile litigabo, modò de re convenire potero. In presenti autem Disputatione examinabo eam artuum motûs impotentiam, quæ ex Colica per μεταπλωσιν, sive μετασσειν, materiâ sc. morbificâ ex intestinis ad artus ἀδρόως transmissâ oritur.

IV. Novus, & rarus affectus hic non est, sed Æginetæ, Avicennæ, Haly Abbati, Arculano, Nicolo, & Paracelso jam fuit cognitus. Hippocrati etiam & Galeno hunc ipsum
non

non fuisse ignotum, pluribus rationibus probare conatur Collado in Adversar. Tom. I. p. 369. Nostrò autem seculò plurimum Regionum Incolis familiaris & Epidemius est: & si Æginet. & Coladon. credimus, olim etiam epidemius fuit. At tamen à veteribus paucissimis duntaxat verbis est adumbratus, & à recentioribus etiam paucis rectè enodatus, atq; explanatus. Imò, nemo, (quod sciam,) ex professo de hoc affectu scripsit, ejusq; causas, signa, atq; curationem distinctè, ut in aliis affectibus, est persecutus. Hinc etiam factum, ut sicut Iordanus ait p. 51. Iulius Morav. descript. Viri aliàs solidioris scientiæ ac eruditionis, quibus hic affectus ex improvise curandus obvenit, mirum quàm turpiter suam in curando prodiderint inscitiam. Et, ut Spigelius l. c. refert, eò tempore, quò Patavii Colici dolores Epidemii erant, & Sæpè in Paralytin transmutabantur, multi fuerunt, qui circà hujus affectus cognitionem hallucinantes, & pro debilitate magna virium ex morbo contracta habentes, eam cibo & potu copiosius, sed frustra tollere conati sunt.

V. Quapropter, cum tantum quis in curando fallatur, quantum cognoscendo aberrat, age, incendamus ingenij nostri nervos, atq; in abstrusi hujus affectus naturam sedulo & liberè inquiramus. Quod ut eò melius fiat, cum hic affectus ex Colica per metamorphosin & quasi per judiciariam translationem fiat, hæc quatuor primò consideranda: Pars sc. mandans, pars repiciens, materia morbifica, eamq; causas generantes atq; impellentes, & deniq; via per quas illa transmittitur: Dehinc definitio realis construenda, & tandem præmissis signis Diagnosticis, & Prognosticis, curatione brevis juxta medendi regulas subnectenda.

VI. Pars itaq; mandans, sive subjectum à quo materia illa morbifica ad artus mittitur, sunt intestina, quæ colici doloris proximum subjectum. Per intestina autem hæc intelligo tam tenuia, quàm crassa. Nam quamvis negandum non sit in dolore Colico frequentius, & præcipuè intestinum Colon affici, à quo

etiam hic dolor, tanquam à parte affecta nomen accepit, & Colicus appellatur; at tamen, etiam negari non potest quandoq; & tenuia intestina in hac dolorifica passione cruciari, quodq; etiam docet Sennert. l. 3. Prax. p. 2 s. 2. c. 2. Adeoq; etiam Spigel. l. 4. de febr. Semiter. c. 13. p. 129. Colicus dolor dicitur, qui non tantum crassa, sed & tenuia intestina obsidet. Oritur autem intestinorum dolor in hac Colica specie, quæ in Paresin transit, à materia morbifica, non in cavitate intestinorum hærente, sed per membranas & vasa eorundem motâ, illaq; vellicante, & distendente.

VII. Pars verò recipiens, seu subjectum ipsius Paresis est vel proximum, vel secundarium & remotum. Hoc sunt artus corporis, pedes sc. crura, brachia, & manus; aliquando omnes, ut notat Clariss. Dn. D. Beckherus in prælect. publ. Amicus & Fautor meus honorandus Decad. 8. Obs. 6. Horst. l. 4. Obs. 11. & Forest. l. 21. Obs. 15. Aliquando saltem crura, & pedes, ut in seipso, & aliis observavit Spigelius: Aliquando brachia, ut annotat à Carol. Pison de morb. à Colluvie seros. p. 243. & 244. Aliquando manû duntaxat, ut notavit Forest. l. c. obser. 5. Erast. part. 4. Disp. cont. Paracels. p. 257. Rarius tamè crura, frequentius autè brachia Paresin occupare Horst. ait Decad. 2. probl. med. q. 8. Subjectum verò primarium, & proximum sunt musculi artuum. Quandoq; tamen etiam alij musculi, qui sunt extra artus, sic afficiuntur. Quippe Spigelius l. c. de Semiter. testatur se quosdam vidisse, qui præter oculos & labia oris, nihil aliud movere potuerunt. Nec hoc in credibile. Nam si materia morbifica in corpore abundet, atq; turgescat, natura tam facile ad alios musculos corporis quàm artus eam detrudere potest. Sed tamen hoc rarò accidit, nec ab aliis Authoribus, qui Paresis ex Colica meminere, unquam observatum.

VIII. Musculos autem primarium, & proximum paresis

sis

his subjectum esse, ex eo patet, quod muscoli sunt proximum & primarium motus voluntarij subjectum, sive instrumentum: Cum autem idem sit subjectum actionis laesae, quod est actionis integrae, itaq; necessario sequitur, ut etiam Paresis, quae est impotentia motus musculi primarium & proximum sine subjectum. Fit autem impotentia illa movendi in Paresi vitiò musculorum, non quoniam nervi à materia morbifica obstruuntur, sed potius, quoniam arteriae illam materiam morbificam in musculos evomunt, unde nervi comprimuntur, Spirituum debitus influxus impeditur, muscoli eorundemq; tendines irrigantur & laxantur, atq; sic ad officium suum præstandum planè inepti, ac inhabiles redduntur. Imò quando ipsa materia per arteriarum oscula in partes musculorum sensiles eructatur, gravissimus dolor accidit.

IX. Ceterum materia morbifica, seu causa continens Paresis, quae & Colicae causa fuit, est, humor calidus, tenuis, acris, serosus, aut biliosus. Talem nempe humorem esse arguunt, partim ipsa Symptomata, qualia sunt; oris amaritudo, sitis, urina citrina & ignea, dolor artuum mordax & pungens: partim causae quae præcesserunt, ut & cibi & potus ad bilis & serosi humoris generationem facientes. Proin valde familiaris etiam est hic affectus iis in locis, ubi vina fortia, sulphurea, & tartarea in usu sunt. Et ob hanc humoris conditionem facilis è Colica in Paresin, & vicissim è Paresi in colicam est transitus. Præterea In-golstetter, l. c. testatur omnes quos Paresi affectos curavit, fuisse biliosos. Et Eraustus l. c. scribit se ex infinitis propè nullum hòc malò affectum vidisse, qui non esset naturà calidior, & siccior, & in quo non multum simul bilis generaretur.

X. Viam quod attinet, per quam materia morbifica moratur, ob motus diversitatem diversa est. Duplex autem potissimum hinc motus considerandus: Unus, qui fit à circumferentia ad centrum, i. e., ab intestinis ad cor: & alter, qui fit à centro ad circumferentiam, hoc est, à corde ad artus.

XI.

XI. Quandoquidem Parosis fit per mutationem qua, docente Castrens. l. 1. c. 2. Opusc. Med. cui tit. quæ ex quibus est morbi unius in alterum cessante priore, permutatio, orta à permissioe, hoc est, materiae morbificæ transmissione, eodem teste l. c. l. 2. c. 2. necesse est, ut idem humor biliosus, aut serosus, qui à natura sanguinem à vitiis humoribus inquinatum depurare, & exonerare se volente, per arterias ad intestina, veluti naturalem cloacam deorsus est, atq; arterias membranasq; eorundem p. n. distendendo, & vellicando, actu Colicam parit, ab iisdem, cum ad intestinorum cavitatem penetrare non possit, regurgitet, atq; ad artus transmittatur. Transmitti autem eò hic humor non potest, nisi per illas vias, quas natura ceu canales motui & fluxui humorum destinavit. Gratis enim quæruntur viae incognitæ, & occultæ ubi satis manifestæ, & cognitæ dantur. Viae autem illæ sunt venæ & arteriæ. Præter venas enim & arterias, non est in corpore vas aliud, per quod fluxus, atq; refluxus humorum commodè fieri potest. Cum autem in intestinis præter venas, & arterias mesaraicas nullæ viæ sint, per quas hæc permissio fieri posset, itaq; necesse est, ut humor hic vitiosus per venas aut arterias mesaraicas ex intestinis regurgitet, & cum sanguine primò ad cor deferatur. Quippe ad artus transfundi non potest, nisi per arterias; ad arterias autem pervenire non potest, antequam ad cor, in quod, ceu sanguinis promptuarium, omnem totius corporis sanguinem venæ deponunt, eundemq; arteriæ ab eodem accipiunt, recurrat. Hanc hypothesin, ceu verissimam & apodicticam cum ingeniosissimo Harveio, aliisque Viris Clarissimis, non minus acri iudicio, & ingenio pollentibus, circularem sanguinis motum, quem & ipsum sensum iudicium approbat, asserens, præsuppono.

XII. Verùm per arterias mesaraicas ex intestinis materia morbifica regurgitare, & cum sanguine ad cor refluere non potest. Hæ enim à partibus sanguinem ad cor non reducunt, sed à corde ad partes deducunt. Recedere itaq; illa cogitur succedente

dente confestim propulſu ſanguinis in venas ex arteriis. Reſtat itaq; ut venæ meſaraicæ illam materiam ab arteriis per anastoſes recipiant, atq; per venam cavam in cor transfundant; Cùm harum & omnium venarum munus ſit, ſanguinem ab arteriis receptum, & qui in partium nutrimentum non cedit, ad cor reducere. Verùm ſuperest adhuc ſcrupulus; an ſcilicet materia illa merbifica per venas duntaxat meſaraicas vulgares, ſeu ſanguineas recurrat, an verò etiam per Chyliferos meatus, ſeu lacteas Aſellij venas eadem poſſit tranſmeare; cùm & hæc ex inteſtinis aliquid deducant, & in venam cavam transfundant. Non impoſſibile hoc foret, ſi materia illa in cavitate inteſtinalis fiſtulæ hæreret, cum ſic cum chylo ab inteſtinis in chyliferos meatus impelli poſſet: Verùm, cum hæc materia in arteriis atq; inter tunicas inteſtinorum conſiſtat, non facile auſim illud aſſerere. Nam chylus cum ſanguine in inteſtinis aut venis meſaraicis non confunditur, ſed ſeorſim Chylus in venas lacteas per rugoſam inteſtinorum cruſtam, in quam hæc venæ deſinunt, ceu per colū exprimitur & impellitur, ſanguis verò ex arteriis meſaraicis in venas meſaraicas per anastoſes propellitur. Quod vel ſic luculentè apparet: ſi ramus meſaraicus vinculo conſtringatur, omnes venæ meſaraicæ à ſanguine infra ligaturam ad inteſtina uſq; etiam in extremitatibus intumeſcunt, & rubeſcunt, quoniam ſic ſanguis ex arteriis in venas impulſus, ob vinculum injectum ad cor refluere non poteſt: Venæ verò lacteæ nec à ſanguine turgelcunt, quia illæ nec cùm venis, nec arteriis inoſculantur; nec à Chylo, quia ejus ad hepar tranſitus ſic non præpeditur. Et hoc experimentum ſtringere poteſt Virum Clariffimum Dn. D. Regium, qui in Phyſiolog. ſua Diſp. 2. p. 20. etiam per venas meſaraicas vulgares, & Celiacas Chylum ad hepar tranſmeare ſcribit, & venas lacteas ſucco plenas ideò ſemper albicare, quod extremitates ipſarum cum nullis arteriis ſint continuæ, ac ideò nullum ſanguinem ab illis in cavitates ſuas recipiant; in venis vero meſaraicis,

B

raicis,

raicis, & celiacis, chylum à ventriculo & intestinis suppedita-
tum, ob sanguinem à continuis arteriis in illas perpetuo propul-
sum, mox ita ruborem contrahere. Verùm, si hoc ita esset, saltem
in extremitatibus venarum mesaraicarum sic turgentium, illa
Chyli cum sanguine confusio animadvertere esset. Verùm nun-
quam illam sanguinis mutationem observare potui. Ceterùm,
quando hic humor vitiosus jam ad cor pervenit, natura ut corp^s
sanum sanguinemq^{ue} vitæ thesaurum purum conseruet, vitiosum
hunc humorem à bono segregat, segregatumq^{ue} ad artus, tanquam
partes ignobiliores remotioresq^{ue} per arterias propellit & sic Pare-
sis excitatur. Atq^{ue} hòc modò materiae morbificae $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\tau\epsilon\iota\upsilon$ fieri
nemo mirabitur, qui in causis morborum rimandis paulo diligen-
tiores operam posuerit. Et hæc tam evidentissima sunt, ut non
facile quispiam seriò inficias ire possit, qui sensus suos, visum in-
telligo & tactum consulere, quàm ineptis ratiunculis ingenium
suum exagitare mavult.

XIII. Sed meritò adhuc quæri posset, utrum vitiosus hic hu-
mor ad cerebrum etiam perveniat? Certè negare hoc non possum,
cùm sanguis ex corde veluti centro, sanguinisq^{ue} thesauro, tam per
truncum arteriæ magnæ descendentem ad partes inferiores, quàm
per truncum ascendentem ad superiores partes pellatur. Verùm
neesse non est, ut in cerebro subsistat atq^{ue} ex eo ad principium Spi-
nalis medullæ, aut ipsos musculorum nervos transmittatur. Sicut
Hoffmannus, Piso, Coiterus Citesius aliq^{ue} opinantur.
Possunt enim eundem ab arteriis venæ recipere, & ad cor reduce-
re, ut sic à natura provida, à partibus nobilioribus ad ignobilio-
res, remotissimasq^{ue} totus propellatur. Quod tamen aliquando in
eo subsistere possit, quando sc. natura est effeta & debilis, atq^{ue} per
arteriarum oscula in cerebrum eructatur, etiam inficias ire nolo.
Sed rarò hoc accidit, adeòq^{ue} rarò etiam in Paresi cerebrum, vel
principium nervorum læditur.

XIV. Ex his jam facile apparet, quænam sint causa reo-
morio-

inotiores Paresis, nimirum ea omnia, qua vel ad generationem
 & cumulationem humoris tenuis, acris, biliosi, atq; serosi faciunt
 vel generati & jam colicam excitantis ab intestinis ad artus mo-
 tum, & transmutationem adjuvant. Ad humoris autem bili-
 osi, & serosi generationem, & cumulationem faciunt, aer calidior,
 anni tempus calidum, cibus calidus & siccus, quiq; facile in bilem
 mutatur, aut etiam qui multum serosi, aquosi, & tartarei humoris
 suppediat, vina fortia, qua in terra calcaria vel lapide calcario
 sulphureo, vel simili aliqua materiali abundantate proveniunt:
 Inedia, vigilia nimia, exercitatio corporis vehemens, & id gen^o alia.
 Atq; haec facilius id praestant, si temperatura hominis sit calidi-
 or & siccior, atq; imprimis, si cordis hepaticiq; adsit sicca & calida
 intemperies. Caterum humorem hunc qui Colicæ causa existit,
 ab intestinis ad artus varia moliri possunt. Vel enim natura
 ipsa exonerare se volens, cum materiam morbificam ex intesti-
 nis per fluxum aut diarrhaeam expellere non potest, quoniam tu-
 nica intestinorum à cibo & potu stipitico ac pontico, vino auste-
 ro & tartareo, fructibusq; acerbis sunt condensata, osculaq; arte-
 riarum mesaraicarum à copia biliosorum humorum, & pontica-
 eorum qualitate, aut ob intestinorum distensionem sunt occulta,
 criticò quasi motu per venas ad cor eam repellit, atq; ex eo tandem
 per arterias ad artus detrudit. Peculiarem verò ob hanc ad ar-
 tus vergentiam materiae proprietatem, qua nervosis & membra-
 nosis partibus praeter ceteris esset amica, cum Horstio hic fingere
 non necessum puto. Vel à medicamentis calidis ac fortioribus,
 vel aliis remediis intempestivè & praeposterè adhibitis, motus ille
 inducitur. Sic Colicam in Paresin ab Antimonij exhibitione mu-
 taram fuisse, Cornarius observavit: & post balneum & V. S.
 similiter Colicam in Paresin abesse Niculus & Arculanus no-
 târunt.

XV. Differentia Paresis à causa, subjecto, tempore ma-
 gnitudine, & Symptomatibus desumi possunt. Sic alia Epidemica,
 B 2 alia

Endemia est. Epidemia Italis, Pictavis & Britonibus olim fuit. Endemia est in Austria, Moravia, Hassia, Suevia, Franconia, Syria, Carynthia & Pannonia: imò & in Borussia. Frequentius tamen hoc malum accidit Dantiscanis, quam Regiomontanis. Causam reddit celeberrimus Beckherus Probl. Med. Decad. 2. q. 10. quia scilicet Regiomontani aère puriore & aquâ sinceriore, vinisq; minus saccharatis utuntur, fruuntur. Rursus alia est recidiva, alia non. Item, alia omnes extremarum partium corporis musculos occupat, alia saltem artuum; & quidem vel omnium, superiorum & inferiorum, vel duntaxat pedum & crurum, aut manum & brachiorum, unius vel amborum, vel etiam manus saltem aut brachij &c. Quaedam etiam incipiens est & recens; quedam confirmata & inveterata. Quaedam est cum dolore pungente, tremore, formicationis sensu; quedam sine illis. Quaedam est levis; quedam gravis, pro magnitudine tum causæ tum Symptomatum.

XVI. Ex his positis, non difficile est talem definitionem formare: Paresis ex Colica est impotentia motûs voluntarij artuum, oriunda ab humore tenui, acri bilioso aut seroso ex intestinis ad musculos artuum delato, ut plurimum cum dolore pungente & urente.

XVII. Expedivimus hætenûs quæcunq; de natura Paresis ex Colica dicenda videbantur. Nunc quoq; ipsa curatio paucissimis tradenda. Nam si Medicus sufficit ad cognoscendum, sufficet quoq; ad curandum; quandoquidem Rectè intellecti facilis curatio morbi est. Prius autem signa ejus tam Prognostica, quam Diagnostica præmittenda. Hæc autem vel ipsam Paresin indicant, vel illam à Paralyti vulgari discernunt.

XIX. Signa Diagnostica Pathognomonica Paresis sunt vel fientis, vel jam factæ. Signa Paresis fientis, & metastasis cause morbificæ hæc sunt: Colicus dolor qui antea erat vehementis & vagus, cessat, agri de ascendente quâdam aurâ is in locis

cis, ubi positus est vasorum majorum, & quandoq̄ de præcordio-
rum calore conqueruntur, urina mutatur, sic crassa, & admodum
tingitur; Cordis & arteriarum motus fit vehemens, creber & ce-
ler. Ubi materia ad artus depellitur, ardor & fornicationis sen-
sus in eis sentitur, & quandoq̄ color citrinus vel alius p. n. appa-
ret. Ubi verò jam Paresis facta est, maxima artuum adest im-
becillitas, & ad motum præstandum inhabilitas, cum dolore sæpè
pungente & urente &c.

XIX. Ceterum signa Diagnostica, quibus Paresis hæc
à Paralyti vulgari discernitur, sequentia sunt: Paralytis vul-
garis & propriè dicta, cerebri & Spinalis medullæ affectus comi-
tatur: Paresis verò hæc, intestinorum Colicum dolorem sequitur,
Salvò plerumq̄ cerebrâ & nervorum principiò; & propterea in
Paralyti vera etiam remedia cerebro, Spina, & nervorum prin-
cipio sunt applicanda, & cerebri imprimis maxima semper habè-
dario: in Paresi verò non item. 2. In Paralyti nervi, in Pa-
resi verò artus musculorumq̄ tendines, membranae, & arteria
potissimum afficiuntur. 3. Paresis hæc oritur ab humore calido,
tenui & acri; Paralytis verò sæpè etiam ab humore frigido,
pituitoso, & crasso. 4. In Paralyti materia morbifica in ner-
vos sese insinuat, uti plurimi volunt, vel extra ipsis incumbit: In
Paresi verò per arterias ad artus pellitur. 5. In Paresi vulga-
ri sensus tactûs ut plurimum cum motu aboletur, aut certè dimi-
nuitur: in Paresi verò ex Colica plerumq̄ sensu tactûs superstite,
& sæpè cum dolorifico sensu motrix tantum facultas labefa-
scatur.

XX. Signa Prognostica Paresis quod concernit, hæc
sunt: Paresis ex Colica, affectus est diuturnus & gravis. Et
si a gri natura non sit fortior, ut materiam hanc morbificam à
partibus principibus expellere possit, antequàm illa peritiosis per-
fectè sit, non rarò ipse succumbit. Hoc factum in illa Colica, quæ
Roma tempore Ægineæ populatim grassabatur pestilenti mo-
do;

dō: Sic enim ille l. 3. c. 43. Colica veluti pestifera quādam con-
tagione finiebat, plerisq; ad Epilepsiam, aliis ad arcuum resolu-
tionem servatō sensu: & qui ad Epilepsiam delapsi sunt, pleriq;
perierunt: qui verō ad resolutionem, pleriq; servati sunt, velut
in iudicatione causā translata. Gravior est Paresis, quæ omnes
musculos & artus occupat, atq; plura Symptomata conjuncta ha-
bet, quàm quæ artus duntaxat inferiores & superiores afficit,
gravibusq; Symptomatibus caret. Paresis recidiva curatu qui-
dem difficilis ob naturæ partiumq; affectarum debilitationem, non
tamen prorsus incurabilis. Quandoq; Paresis cum Epilepsia ac-
cidit: cujus observationem habet Horst. l. 2. obser. 6. materiā
scilicet etiam in cerebrum eructatā, nervorumq; principium velli-
cante. Quandoq; Paresis fibrosis & nervosis musculorum parti-
b; ab acrimonia humorū nimis irritatis, cerebrō in cōsensum tra-
ctō in cōvulsionē terminatur. Plater^o tr. 1. Prax p 529. Senn.
Instit. Med. l. 2: p. 2. S. 2. c. 5. Quandoq; Paresin Atrophia
excipit, ut observavit Stegius Prax. Med. l. 3. c. 3. p. 371.
Hoffmann. Consil. 173. à Scholtz. coll. ob partium se sum-
mam debilitationem, atq; articularum obstructionem, unde san-
guis bonus non attrahitur, nec retinetur, nec assimilatur.

XXI. Ut Ergo Paresis ex Colica curetur, eo respicien-
dum, ut materia morbifica quæ in musculis jam hæret, & impo-
tentiae motus causa est, quò id fieri potest ingenio eradicetur, con-
sumatur, discutiatur; quæ verò adhuc in intestinis & influxu
est, inhibeatur, & per iuxtaon evacuetur. Tandem opera-
danda, ut cor, intestina, & artus corroborentur, & nova mate-
ria generatio precaveatur.

XXII. Hæc itaq; ut comodè expediantur, primò cly-
ster emolliens, humedans, laxans & abstergens injiciendus ex
rad. Alch. lil. alb. Herb. malv. bismalv. viol. parietar.
mercurial. primul. ver. Semin. lin. fænugr. ol. chamæm.
Violar. aneth. &c. Et ut intestina ad excretionem ma-

gis

gis stimulentur, utile est parum hieræ lagod. Elect. lenitiv.
& nitri. vel salisin decocto dissolvere. Est enim pertinax al-
vi obstructio, individuus Paresis comes. Et propterea etiam
ut alvus laxa, & aperta reddatur, tales clysteres sæpius reite-
randi. Alvus ubi per clysteres aperta & emolliata fuerit, pur-
gantia mitiora exhibenda, ut: Syru. rosar. & violar. solut.
Syr.d. Cichor.c. Rhab. d. pom.c. fol. Sen. Q. Diafer, And.
de fumar. manna. Mechoacanna. Gialap. Rhab. Crem.
tart. Extr. & magist. Gialap. Rhab. Extr. Pil. Cochiar.
Panchymag. Q. Fortia verò & calida medicamenta sedulo
vitanda. Post venæ sectio, imprimis si plethora adsit instituen-
da. Tandem ut ex artubus & musculofo habitu tenuis, serosus, &
biliosus humor discutatur, sudorifera ex aq. Carduib. Samb.
Scabios. rob Sambuc. Antimon. diaphoretic. C. C. la-
pid bezoar, rad. contrajerv. lign. Guajac. rad. sarsæpa-
rill. & similibus parata exhibeantur.

XXIII. His universalibus evacuationibus præmissis,
partibus Paresi affectis ea admovenda, quæ calorem nativum in
iis confortare, causam morbificam dissolvere, absumere, atq; insen-
sibiliter discutere apta nata sunt. Idcirco partes affectæ pannò
asperò primò bene fricentur, dein foveantur decoctò rad. alth.
urtic. lil. alb. herb. Salv. organ. primul. ver. Rosmar.
Majoran. Chamæpith. Flor. chamæm. lavend. verbasc.
bacc juniper. Semin. lin. fænugr. &c. Postea inungantur
pingved. taxi. cunicul. vulpin. human. anserin. Aq. la-
vend. Sp. juniper. Extr. lavend. castor. Ol. chamæm.
lil. alb. hyperic. Costin. laurin. lumbricor. terrest. Ol.
destill lavend. rosmarin, juniper. Succin. ceræ, balsam.
galban. terebinthynat. balsam. antipodagr. Crat. &c.

XXIV. Ut autem ventriculi atq; intestinorum dispositio
morbofa corrigatur, eorumq; tonus roboretur, Sp. Vitriol. phi-
los. Sp. Vitriol. Mart. Sp. Salis, Tartar. mastic. Elix. P. P.
Elix.

Elix. Vitriol. Mynsich. Mixtur. Simpl. Magister. chalyb. tart. Vitriol. Bezoart. Vitriol. cum aq. rosmar. Salv. lavend. betonic. primul. ver. aut aliâ aquâ conveniente, jejuno ventriculo exhibeatur. Possunt etiam in hunc usum Elix. tuaria, pulveres, rotulae, morsuli & similes medicamentorum formulae ex medicamentis huic scopo inservientibus pro re nata formari. Cordi quoq; internis externisq; cordialibus succurrendum, cum per hoc nobile viscus materia morbifica transfluat. Cerebrum etiam nervorumq; principium si sit affectum, non negligendum, sed & ipsi idonea medicamenta prospicienda. Nec nocet & aliàs contra insuleum hujusmodi humoris cerebrum roborare, cum & per hoc materia cum sanguine circuletur.

XXV. Tandem ne Paresis recidiva fiat, & novae materiae generatio prohibeatur, bona victus ratio instituat. Ideoq; cibi sint boni succi, cocti faciles, & qui minimum biliosi, aut serosi humoris suppediant. A fructibus horariis planè abstinendum. Potus sit cerevisia tenuis, & benè defaecata, aqua hordei simpl. cum passul. & cinam. parata, cui etiam aliquot gutt. Sp. Vitriol. Salis, Citri, vel Syr. acetosuat. Citri ad gratam aciditatem addi possunt. Vinum omne suspectum. Si tamen aegrotus vino sit assuetus, parcè bibatur, & tale, quod malum hoc exasperare non potest. Alvus aperta servetur, & nisi spontè officium faciat, arte laxetur. Corporis motus & perturbationes animi vehementiores, ut & inedia vitentur. Somnus quoq; & vigiliae ita moderentur, ut vires corporis non debilitentur, nec excrementitij humores in corpore cumulentur.

Atq; haec sunt, quae de Paresis ex Colica Ideâ, Dignotione, Praenotione, atq; curatione breviter & ingenuè conscribere, atq; publicae censurae juxta statuta Celeberrimae hujus Facultatis Medicae subicere volui. Meliora docentem libentissimè sequar.

Soli Deo gloria & gratiarum actio.

Super-

Superpondia.

1. Venæ lacteæ sunt vasa ab arteriis venis & nervis distincta & nulla earum ad ventriculum, Pancreas aut Lienem abit; paucissimæ ad intestina crassa.

2. Venæ mesaraicæ vulgares sanguinem ad hepar deferunt, chylum autem eò non ferunt, nec debent, nec possunt.

3. Qui venas lacteas in brutis dari concedunt, in homine verò negant, & naturæ injuriam faciunt, & experientiæ adversantur.

4. Venæ lacteæ chylum ex intestinis ad pancreas, ventriculo substratum non deducunt, adeoq; nec ab eo ceu promptuario omnis chylus suscipitur atq; excoquitur, ut ut acriter hoc nonnulli defendant. Quippe falsâ hypothesi nituntur, dum pro pancreate Asellij, quod glandula magna mesenterij est, vulgare pancreas accipiunt. Quem errorem jam alibi perstrinxim^o.

5. Venæ lacteæ moriente animali subito evanescent, atq; disparent, non quia chylus ob spirituales suam indolem in auras abit; neq; quia hepar eum validè attrahit, neq; quia is è lactibus in intestina relabitur. Sed quia intestina eum in venas impellere cessant. Hanc certe subitæ disparitionis veram esse causam, vel sola venarum lactearum ligatura luculenter docet.

6. Pylorum Ventriculum tam diu clausum servare donec omnis cibus concoctus sit, nec quicquam chylus non nisi omni finitâ coctione emittere, erroneum. Hoc igitur cadente concidit & illud, quod Lien liquidiorum chylum & potulentum ex ventriculo attrahat.

7. Nervi valvulas nullas habent, adeoq; nec vitio earum catalepsis Paralysis aut spasmus fieri potest.

C

8. In

8. In Pleuritide ad revellendum vena affecti lateris : & in Hepatis inflammatione vena pedis secanda.

9. Paresin ex Colica, Arthritidem vagam, die laufende oder springende Gicht / Varenos, die Varen oder Kaddeu / (morbus Westphalis Endemius) & Vermicularum seu Pilarem Puerorum affectum, Wittesser (in Misnia & Silesia familiaris est) inter se differre maxime puto.

10. Pulsus nullus proprius & peculiaris est amantibus, nihilominus amor insanus ex pulsu deprehendi potest.



Ad

Literatissimum Dominum Respondentem.

M Aste tuâ virtute (ita enim itur ad astra) Magyre
Ingenij dotes pandere perge tuas.
Dum tentas contorta plicis quesita paratò
Judiciò palàm solvere, magna facis
Sed tibi verba tuo, velut unda, feruntur ab ore
Quæ Medico semper conciliata foro.
Est namq; ingenij splendor Clarissimus in te;
Hinc tibi difficilis vix erit iste labor.
Hòc etiam emensò cursu feliciter omni
Insuper & Medicas disce parare dapes.

Perga

Perge labore tuò, sic Laurus tempora cinget
Atq; olim DOCTOR nomine clarus eris.

Gratulabundus
conterraneo suo

apposuit

LUDOVICUS KEPLER
Regiæ Polonico-Sveciæ
M^{us}. & Sereniss. Electis.
Brandemb. Medicus.

Sic non vulgâris *Te* dissertatio tollit,
Fautor, quâ *Paresin*, quam *Colica passio* gignit,
Discutis, affectûs monstrans subtiliter ortum,
Auspiciis pergas melioribus, *Auspice Christo*,
Sic *Te* cum plausu doctorum pulpita tollent.

M. Joach. Stecht Sed. Pom.

Pharmaca lethiferis qui vult opponere morbis,
Et medicas agris adhibuisse manus;
In morbi causas inquireat rite, necesse est,
Quanta sit & tanto danda medela malo.
Temperies aegri non sit non nota, simulq;
Quis sit stelliferi fluxus in ima poli.
Ne vel in extremam cedat medicina ruinam,
Aut profit medicâ nil moderante manu.
Ergò dum causas morborum quaris Amice,
Pulpita sub docto Praside clara petens:

Rem

74.
Rem Medicò dignam, Galenò judico, prestat.
Scilicet hæc res est maximus artis honos.

*Ita Nobilù. Dn. Resp, Amico suo
fraterne colendo gratulab.*

Adamus Rys Sarvarino-Ung.
Philosophiæ Studiosus.

Qui novit rerum causas, si dicitur ille
Felix, quas mundi machina magna capit:
Næ mage censendus felix Tu frater amande,
Cum causas mundo quæris in exiguo.
Scire peregrinis, pudor est, quæ dantur in arvis,
Et nescire suò quæ teneantur agrò.
Hinc promptus poteris morbos curare malignos,
Quos fragiliquivis corpore sentit homo.
Gratulor ergo tibi, KOCHI charissime, quondam
Utq; feras Patriæ commoda multa precor!

Ita vover

Johannes Pfisterus
Sempronio-Ungarus.



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270



f
Sb.

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



EDICA

COLICA

ine

Medicâ appro-
Facultatem
suræ

TNERVS D.

ITE

KOCHIO
ohemo.

ajori.

RI

EUSNERI.

4.

1644, 5

25

